



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quomodò Christus est caput Ecclesiae, & quomodò Petrus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

A R G V M E N T A.

1. *Quomodo Christus est caput Ecclesie, & quomodo Petrus.*
2. *Quare Christus voluit esse Papam, id est, prælatum unum supremum Ecclesie hic in terris.*
3. *Quæ sit potestas Pape.*

Criptura dicit Christū verum caput Ecclesie in quod credimus, fidimus, & salutē nostram locamus, Eph. 1. Dedit pater Christum caput Ecclesie, quæ est corpus ipsius, qui omnia in omnib. adimplet, sicut vitis dat palmitibus totā virtutem, sic Christus caput immittit nobis tanquam membris donā gratiarū. Col. 1. Ipse est caput corporis Ecclesie, scilicet Christus. Igitur caput in quo credimus, est solus Christus: hic est occasio & fundamentum fidei & salutis nostræ. 1. Cor. 3. fundamentū aliud &c. ipse est lapis angularis, Eph. 2. super quem debemus ædificari fide tanquā lapides viui in domos spirituales, 1. Pet. 2. Petrus autem dicitur petra Ecclesie, *der felse der Kirchen* / super quam petram fundata est Ecclesia; ratione superioritatis, regiminis ac prælaturæ, quod ipse ex mandato Christi constitutus est in prælatum & rectorem Ecclesie, quem omnes Christiani debent agnoscere, audire, & illi obedire. Nam Christus dicit, Super hanc Petram, id est, officium, dignitatem, ratione regiminis, ædificabo Ecclesiam meā: non dixit, sic ædificabo Ecclesiam, vt tu sis fundamentum fidei & salutis, absit, ego sic sum caput Ecclesie, & manebo vsque ad consummationem seculi. Sed te faciam supremum pastorem, vt pascas oves meas verbo meo, & regas hac potestate, quam tibi confero propter

B B

propter

propter tuam constantiam & gloriosam confessionem fidei, Matth. 16. & licet sathanas te quæret tribulari & eradicari, non tamen deficiet fides tua, nec porta inferorum aduersus te preualebunt, &c. Vnde tota Ecclesia Catholica agnoscit hanc superioritatem in Petro & eius successoribus.

2. Secundo Christus ideo ordinauit Papam prælatum Ecclesiæ hinc in terris, quia sciebat diabolus non dormituum, sed quod esset excitaturus varias hæreses, perturbationes, rebelliones, &c. ideo ut esset qui lites ac cõtrouersias in rebus fidei & doctrine pōneret, utque esset caput ministeriale, in quem omnes respicerent tempore hæresum & tribulationum, fecit Petrum prælatum Ecclesiæ suæ. Sic tamen et Papa prælatus, ut Concilium, quod representat Ecclesiam, agnoscat, non supra illud se constituat, sed audiat, & quæ concilium concluderit, ea per suam auctoritatem publice & confirmet. Tali modo uult Ioan. Gerson Concilium esse supra Papam. Sic Deus olim prouidit Synagoge, ut in rebus ambiguis negocium deferretur ad sacerdotes Leuitici generis, cuius iudicio penitus standum esset, Deutero. 17. Nec scriptura iudex esse potest, ut uolunt Aduersarij, et quod quisque trahit & interpretatur scripturam ad suum intellectum, quem sibi fingit, sicut patet in Sacramentarijs cum uerbis his, Hoc est corpus meum; ubi hic intelligit signum, ille figuram, hic simplicem panem, &c. Sic Anabaptistæ cum uerbis Qui crediderit, Et baptizatus fuerit &c. Mat. ultimo. Oportet igitur ut sit certum iudicium seu magisterium Ecclesiæ ad scripturam rectè & uniformiter explicandam: Quare Pōtificem & episcopos debemus audire. Qui uos audit, me audit, inquit Christus. Scilicet SS. Patres, Hieronymus, Augustin. &c. consuluerunt sedem Petri. Contemptus autem Pontificis & Episcoporum, est causa omnium hæresum, ut inquit Cyprianus